

dit, cum illa sic exposita causalitas nullam dependentiam à potestate superiori in Deo inferat. Sic ergo inde eligere Deus potest ex pluribus, quæ ipsi occurrunt, id, quod maxime placet, ut tamen ejus voluntas proprie & realiter per consilium & deliberationem non determinetur. Quin si Deus nihil velle potest, nisi quod sit conveniens perfectionibus & virtutibus ipsius, quid hoc aliud est, quam quod nihil velle possit, nisi ad id volendum perfectiones & virtutes ipsius eum impellant? Atque adeo si Deus decernit aliquid, nulla ad id ratione, quæ nostro intelligendi modo ab ipsa voluntate differat, impulsus, se ipsum, juxta Roellium, abnegat, & cum ratione de eo concludi potest, ipsum non talem esse, qualis est. Quod si Deo ratio ad decernendum impellens externa adscribi nequeat, propterea quia per eam, quatenus ut impellens consideratur, actus in Deo realiter produci statuitur; etiam ratio impellens interna de Deo concipi non potest, quia sic & per illam actus in Deo realiter produci censendus erit. Neque Roellius adeo, dum *ἐξωτερικὴν* causam sive rationem impulsivam decreti Electionis internam esse affirmat, actum in Deo per hanc realiter produci asserere se negare poterit. Tum causam impulsivam externam Deo non denegat, quando miseriam hominum causam prokatartiken missi Redemptoris, & justificationis ac salvationis causam meritoriam, atq; adeo etiam impulsivam externam, Christi meritum esse dicit. Accedit quod sine ratione Deum agere, & velle agere negat. Rationes ergo sine quibus neq; agit, neque agere vult Deus, quid sunt nisi rationes impulsivæ, quæ in Deo actum realiter, juxta Roellium, producere æstimandæ sunt? Origo itaq; & norma consilii non est voluntas, sed intellectus Dei, qui consultat, & consilium quod certa ratione niti judicat, voluntati offert, quæ tum illud, impulsiva à ratione ista, exequi decernit. Si vero ea, quomodo in ipso Deo in se sint, citra nostrum imperfectum intelligendi modum considerantur, non vix ea distingui possunt, ut vult Roellius, nisi Deum Ens vix imperfectum possis dicere; sed sunt simpliciter

citer